

/ Illustrissime et R/me Domine Cardinalis
Pax Christi.

Intelligo Sacratissimum Imperatorem nostrum Ferdinandum Romae a quibusdam censeri, propter quandam promissionem haereticis factam
5 in negotio religionis. Hac de causa mitto Illust/mae D.V. brevem informationem de toto negotio, et obnixè precor, ut eam perlegat, ac simul paucis verbis mihi insinuet, an merito censeri aut reprehendi debeat, necne.

Prodiit 2 tomus Marci Antonii de Dominis, qui sine dubio a multis refutabitur. Exemplar nondum accepi. Si accepero, fortasse refellam hominem, si operae pretium videbitur. Persuasum habeo, multa illum in hac materia scripsisse contra Illust/mam D.V. Sed veritas non expugnatur.

Imperator noster magno animo est, et quotidie expectat subsidium
15 a Bavaro, Saxone, Spinola. Hostis potens est; et timemus Ungaros et Turcas. Sed Deus aderit optimo Caesari.

Illust/ma D.V. ignoscat mihi, si sim importunus, cujus sanctissimis sacrificiis me humillimè commendo.

Viennae 20 Junii 1620.

20 Illust/mae et R/mae D.V.

Servus in Christo

Adr: Martinus Becanus.

Illust/mo et R/mo Dno D.Roberto S.R.E.Cardinali Bellarmino, e Societate Jesu, Dno observandissimo Romam (cachet S.J.)